


AB

153596





1. Baumgarten / Sigism. Jac. Inskriptionum Hermeneuticarum, Particula prima, de Interpretatione Scripturae Sacrae. Halle, 1752.
2. IV Symbola Theotica, Halle, 1752.  
Commentatio in
3. Versionem Theoticam Symboli Athanasiani; Halle, 1752.

005  
25



SIGISM. IACOBI BAUMGARTEN  
INSTITVTIONVM  
HERMENEVTICARVM


PARTICVLA TERTIA

DE  
SENSV  
SCRIPTVRAE SACRAE

---

AD  
BREVIARII HERMENEVTICI

CAP. I §. VIII - XII.



HALAE

APVD IOH. IVST. GEBAVER. MDCCLIII.



SIGISM JACOBI BAVARDI  
INSTITUTIONVM  
HERMENEVTICARVM

PARTICVLA TERTIA

SENSV

SCRIPTVRAE SACRAE

BREVIVM HERMENEVTICI

CAROLI

HALLAE

IN OFFICINA





§. XXIII.

Quidquid ita intelligimus, ut vel in sensus in-  
currat indubiisque illorum testimonio con-  
flet, vel clare et perspicue atque cum ratio-  
nibus, quibus nititur, appareat nullamque  
dubitationem relinquat, evidens dicitur. Potest autem non  
solum evidentiā in falsi pariter ac veri cognitione locum habe-  
re: verum etiam aequae res sermonibus aliorum proposita  
aliunde evidenter intelligi, etiam si sensus obscurus et ambi-  
guus sit neque difficultatibus expeditus; quam sensus sermo-  
nis evidens esse, cuius argumentum evidentiā destituitur. Ex  
quibus apparet, 1) neque eandem esse rei in sermonibus obviae  
cum sensus eorundem evidentiā, neque semper concurrere  
utramque aut ita cohaerere, ut una ab altera pendeat: 2) eui-  
dentiā falsitatis argumenti omnem sensus oraculorum diuino-  
rum veritatem caetera vel evidentiā visae penitus euerte-  
re; nullam tamen veritatis argumenti evidentiā sensui vel  
impedito vel rationibus propriis destituto veritatem sufficere,  
nedum evidentiā praestare (§. XXI): 3) evidentiā sensus  
oraculorum diuinorum rem eodem comprehensam, licet ab  
evidentiā remotissimam, non solum credibilem reddere, ve-  
rum etiam euictam planeque indubiam efficere; eo tamen ma-  
iorem

Discrimen  
evidentiā  
rei et sensus.

iorem requiri sensus euidentiam, quo remotius est argumentum eodem propositum ab euidentia aliunde concipienda, et quo pluribus maioribusue difficultatibus implicari videtur: et 4) interpretem iniquius secum agere et aequae iniuriam euadere in Dei sermones, si vel partes efficiendi euidentiam argumenti illis exhibiti sibi imponi, vel sensum eorundem illius limitibus circumscribi patitur; quam si officium conuellendi falsitatem argumento oraculorum diuinorum speciose obiectam vel a se amolitur, vel negligenter deserit.

Actum esset non solum de mysteriis et miraculis in vniuersum omnibus, de quibus sacrarum litterarum testimonio constat, verum etiam de innumeris naturae et artis operibus, rerumque gestarum fide facienda, quae insoliti quid aut cuiquam veridissimile et incredibile visum continerent; si vel humanorum duntaxat librorum, nedum diuinitus inspiratorum, interpretatio ad rerum illis comprehensarum euidentiam exigi, illiusque finibus coarctari deberet.

## §. XXIII.

Differentia  
sensus eruti  
et illati.

*Si quis eam cogitationum seriem cum alterius sermone copulat, quam per vocum significationes et finem loquentis rite determinari existimat, sensum ex sermone ipso eruere atque ex fontibus suis deriuare (§. XXII) dicitur: inferre autem in sermonem, qui aliunde desumptam sibi oblatam suo arbitratu sermoni attribuit; etiamsi non solum per eundem ad leges imaginationis produceretur, verum etiam vel ex parte vel integer siue vocum significationibus siue fini loquentis, siue vtrique principio determinandi verum sensum, conueniret. Vt igitur sensus illatus et arbitrarius forte fortuna verus esse potest: ita etiam erutus atque vel operosissime ex sermone deriuatus a vero aberrat, falsusque euadit, quotiescunque ab interprete in peragendo hoc negotio erratur; quod nunquam impune fit et sine sensus erucendi deprauatione et corruptione.*

ne. Quam ob rem boni interpretis est, qui verum sensum efficere debet (§. I), atque adeo rationem illius sufficientem perspectam habere, 1) sensum ex sermonibus eruere, iisque nunquam inferre, neque opinatorem aut coniectorem sensus agere; licet subinde coniecturis supersedere nequeat: 2) in administranda hac prouincia sollicito et circumspecte versari, sibi que ab erroribus cauere: et 3) neque paucitate neque multitudine laborum exantlatorum operaeque sensui eruto impensae veri certique limites et gradus metiri.

Si sensus illatus casu verus est, fortuitam veritatem hermeneuticam efficit; quae nemini interpreti laudi cedit, neque vitio et culpa vacat, quoties per temporis rationis interpretatio locum habere potuisset, cuius neglectio nulla vel felicissima diuinatione redimitur. Quo quis ingeniosior atque ad coniciendum sagacior, neque minus a recordatione multarum interpretationum instructior est; eo et propensior esse solet ad sensum sermonibus inferendum, et frequentius ipsa casuum similibus expectatione in verum sensum incidere: quod tironibus tamen minus gratulandum est, quam errorum conscientia, laboris difficultas, operaeque iterandae necessitas, ne opinionibus assuescant. Sicut sensus ab insciente interprete nec opinato sermonibus inferri potest, pariter ac a sciente et volente; quod, si partium studio fit et pertinaciter, coactam et violentam sensus detorsionem parere solet: ita etiam ab inscio nihilque id cogitante interprete sensus eruitur, si interpretationis aliorum, quae ipsius memoriam subiit, sine rationum recordatione distincta, illarum tamen siue memor siue compos factus arbitrum agit et diribitorem, non sine causae cognitione (§. I).

## §. XXV.

Quum sensus nunquam in sermonem inferri, sed ex eodem semper erui debeat (§. XXIII); ipsa vero scriptura sacra non solum princeps et potissimum genus principiorum determinandi efficiendique leges interpretandi eandem exhibeat (§. VIII), verum etiam ea gaudeat et perspicuitate (§. VII),

Scripturam  
sacram se-  
met ipsam  
interpretari.

et perfectione, quae finibus suis obtinendis sufficiat (§. III): consequitur, vt 1) *scriptura sacra semet ipsa interpretetur*; licet 2) nemini sensum sermonum, quos comprehendit, sine attentione, meditatione, vsuque necessario adnuculorum inspirationem praestolato infundat; neque 3) cuiquam interpreti vel sagacissimo officiique studiosissimo immunitatem errorum certamque veritatem hermeneuticam absolute et vbique praestet (§. XX. XXI).

Plura in hanc rem disputabuntur, vbi tam de parallelismo, quam de analogia scripturae pariter ac fidei seu doctrinae diuinitus constitutae, et vtriusque vsu necessario, agendum erit. Licet per verissimam aequitatis regulam, vt *quilibet optimus sit verborum suorum interpres*, haec conditio scripturae sacrae, vt tam sensus illius ex ipsa pendeat, quam ipsamet sufficiat ad illius determinationem, promiscue et communiter ad libros in vniuersum omnes pertinere videatur: neminem tamen librorum diuinitus conscriptorum gnarum fore arbitramur, qui singularem hac in re planeque peculiarem et propiam scripturae sacrae praestantiam inficietur. Quum enim non solum doctrinam diuinitus reuelatam exhibeat, neque veritas rerum in illa propositarum ex earundem euidencia pendeat (§. XXIII); verum etiam singulae illius partes ita conspirent et cohaereant, vt nulla reliquis contradicat, aut ab iisdem dissideat, vniuersa vero et certissima planeque indubia, et absolute perfecta sit, finibusque suis sufficientissima: facile cuiquam apparebit, et maiorem perfectioremque scripturae sacrae competere, et longe certiozem nexum cum sensus sui determinatione, quam aliis quibuscunque libris cum aliqua veri specie tribui potest. Vnde simul praeter doctrinas supra memoratas consequitur: 1) dari gradus huius determinationis sensus per ipsam scripturam, vt quo arctius cohaereant loca illius interpretanda cum principe argumento eiusdem, et quo magis spectent ad fines illius primarios, eo et facilius et certius illorum intelligentia ab ipsa scriptura sacra praestetur; 2) interpretem scripturae sacrae lectione et notitia vniuersi illius ambitus, singulorumque librorum in illa comprehensorum, carere non posse sine iactura intel-



intelligentiae sensus ex peculiaribus eius particulis eruen-  
 3) praeferendas ubique esse ab interprete determinationes sensus  
 scripturae sacrae ex eadem ipsa desumptas efficiendasque, reli-  
 quis omnibus aliunde petitis vel speciosissima probabilitate com-  
 mendabilibus, nullas tamen fingendas esse, ubi deficiunt.

## §. XXVI.

Quo certius constat tam scriptores librorum scripturae  
 sacrae ratione usus fuisse, quam supremum illius auctorem in-  
 finita pollere scientia, neque fines scripturae sacrae obtineri  
 posse apud eos, quibus destinatur, sine intelligentia eorum,  
 quae in illa proponuntur: eo evidentius patet, *singulas scriptu-  
 rae sacrae enuntiationes habere sensum (§. XVI)*, lectoribus  
 non ineptis, atque intelligentiae illorum, quae legunt, inue-  
 stigatoribus, peruium. Tota igitur scriptura sacra, quanta-  
 cunque est, non solum vniuerse generatimque ex potiore par-  
 te, verum etiam singulatim considerata, iure meritoque intelli-  
 gibilis dicitur: quamuis 1) bene multa perhibeat incompre-  
 hensibilia, ubi rerum euidencia ab euidencia sensus discrepat  
 (§. XXIII); 2) neque a singulis interpretibus nedum lectoribus  
 ubique intelligatur; 3) neque verus illius singularumque ipsius  
 partium sensus ab omnibus recte et intelligenter perspicia-  
 tur; 4) neque penitus vacet a locis intellectu difficillimis,  
 quorum sensus a sagacissimis interpretibus, licet omni adhibi-  
 ta solertia, coniciendus magis verique similiter diuinandus sit,  
 quam euincendus indubitanter, sine detrimento et iactura per-  
 spicuitatis, quae scripturae sacrae competit (§. VII).

Scripturam  
 sacram ubi-  
 que sensum  
 habere.

Quum ad fidem faciendam diuinae originis requiratur, ut scriptura  
 sacra praeter mysteria et miracula, vaticinia comprehendat, quae  
 ante dilucide perspicere pleneque explicari nequeunt, quam im-  
 plicantur, ac praeterea ne ipsa quidem scriptio librorum ad scri-  
 pturam sacram pertinentium iis temporibus facta, quibus conti-  
 git, et ab illis scriptoribus profecta, quibus recte tribuitur, atque

orationum et epistolarum in iisdem obuiarum ad illos homines directio, quibus proxime destinatae fuerunt, demonstrari et a probabili suspicione subditiorum recensque effictorum pia vel profana fraude commentorum vindicari posset, nisi singulae illius partes illis ipsis temporibus hominibusque vnice congruerent et conuenirent: tantum abest, vt sapiens haec locorum ad intelligendum difficiliorum dispositio, sine detrimento perspicentiae doctrinarum ad salutem cognitu necessariarum facta, praestantiae et auctoritati diuinae officiat; vt potius ad illam efficiendam omnino spectet, eiusque vindiciis magnopere conducat. Accedit, quod ipsimet, quid velint, ignorant, qui penitus arceudas fuisse a libris diuinitus scriptis difficultates in vniuersum omnes clamant, prouidendumque interpretationi non solum certae et indubiae vel minutissimarum particularum scripturae facrae, verum etiam facili et cuius vel inertissimo ignarissimoque lectori, quidni etiam vel nihil admodum vel alia omnia inter legendum cogitanti, ad remotissimam posteritatem procurandae. Vt enim non animaduertunt, qui haec comminiscuntur, et latius patere huiusmodi conuestiones, quam vt adeo querulis obtrektoribus vlla ratione satisfieri possit, et innumerorum Deoque indignissimorum miraculorum accumulatione labefactandam penitusque euertendam fuisse veritatem auctoritatis diuinae horum librorum; ad gratiam ab hominum maleferiatorum vel ignaua desidia vel temeraria curiositate ineundam: ita etiam non perpendunt et imminuere attentionem atque reuerentiam, taedium vero contemptumque parere lectorum, nimis operosam explicationem rerum vel mediocriter perito lectori obuiarum, vel obiter duntaxat commemoratarum; et pluribus innumerisque lectoribus diuersissimorum temporum locorumque, ingenii vero, iudicii animique longe diuersiorum, destinatae atque adeo commoditatibus necessitatibusque dissimillimis attemperandam fuisse scripturam sacram, cuius singulas particulas sibi solis accommodare atque ex sua ignoratione et inertia diiudicare satagunt huiusmodi criminatores, vt integram vel excusatius fastidire nihilique facere, vel speciosius auctoritate sua deiicere, atque aliud principium credendi agendique in eius locum sufficere videantur. Neque praetereun-

tereunda est in hac causa mentio discriminis admodum necessaria, quod ratione originis, unde proficiscitur, habita inter eam obscuritatem librorum, vel locis inexplicabilibus referorum, vel sensu penitus destitutorum intercedit, quae scriptorum culpa contrahitur ipsisque iure vitio vertitur; et inter illam, quae lectoribus duntaxat fraudi est, quorum vel culpa et inertia, vel calamitate et per temporum locorumque intercapedinem ineuitabili ignoratione accidere potest, ut vel planissimos libros proximisque lectoribus apertissimos minus intelligant, vel impeditiora in illis loca offendant, quibus peruestigandis expediendisque parum sufficiunt. Prius obscuritatis genus varium et multiplex est, si ad causas originesque refertur. Ut eos non commemoremus, qui ea conscribunt, quae nec ipsimet intelligunt, quod ratione sensuque communi destituuntur; dantur, qui res tractandas vel ignorant, licet illas perspicere existiment, vel obscure tantum, confuse et perquam imperfecte intelligunt: alii vero linguae, qua utuntur, atque proprietatis verborum, valorisque terminorum et locutionum, imperiti sunt; alios ordo meditationis et elocutionis deficit, ut defultoriis discursibus abruptisque hiatibus consecutionem sensus eorum, quae sine coagmentatione, sola temporis locique successione, cohaerent, apud lectores impediunt; alii lectoribus, quibus proxime scribunt, se accommodare nesciunt, quos vel ingeniosioribus elegantibus vel subtilioribus argutiis onerant, fatigant et suspensos tenent; alii denique breuitatis, plus quam satis est, studiosi nimia verborum parsimonia, rerum vero doctrinarumque coarctatarum largitate, atque rationum concisarum finitionumque sollicitarum profusione, lectorum capacitatem excedunt. Quidquid vitiositatis inest his similibusque causarum generibus, quibus auctores lectoribus impeditiores euadunt, ita scriptoribus sacris abiudicandum est, ut, licet fateamur redolere ipsum illorum stilum singulorum statum et vitae genus, quod ad fidem auctoritatis faciendam necessarium fuit. diuinae tamen inspirationi id acceptum referamus, ut ne illi quidem, qui inexercitati atque ab humana arte imparati ad scribendum accesserunt, usquam sua culpa eorum, quae scripserunt, intelligentiam difficilem reddiderint, nedum plane impediunt.



rint. Recidit igitur omnis difficultas intelligendi impeditiora scripturae sacrae loca, si ab incomprehensibilium rerum doctrinarumque sublimitate seiungitur, ad alterum obscuritatis genus supra memoratum, quod ipsum tamen ita circumscribendum est, ut summam sensus euidenciam oraculorum ad ordinem salutis, Deique cultum constituendum, sufficientium nequidquam afficiat, neque incomparabili perspicuitati vniuersae scripturae sacrae vlla ratione aduersetur (§. VII).

## §. XXVII.

Verum sensum  
semper  
vnicum esse.

Si is demum sensus, qui cum serie repraesentationum loquentis conuenit, quas cum aliis communicare voluit, atque adeo a fine loquentis pendet et per eundem determinatur (§. XXII), verus est (§. XVII): necessario sequitur, *verum singularum enuntiationum scripturae sacrae sensum vnicum duntaxat esse*, neque multiplicari posse sine errore. Licet igitur diuersissime intelligantur loca bene multa scripturae sacrae, atque nonnulla interpretationum non improbabiliū insigni multitudine onerentur: nunquam tamen singulae vnus eiusdemque enuntiationis interpretationes, si in sensu constituendo vere et ipsa re, non verbis duntaxat, discrepant, genuinae et legitimae esse atque veritate hermeneutica (§. XVIII) gaudere possunt; neque pluribus interpretum sententiis diuersis et oppositis veritas communiter competit, quamuis singulae falsae esse atque a vero sensu aberrare possint, nisi vna illarum alteri vere contradicat, quod sine alterutrius veritate pariter ac falsitate fieri nequit.

Cessaret omne sermonis commercium, qui siue pronuntiatus siue in litteras relatus communicationi cogitationum inseruire atque sufficere deīneret, si vno plures sensus iisdem illius partibus tribui singulique pro veris habere possent. Quum verus sensus omnimode determinatus sit (§. XVII. XXII); primis planeque indubiis rationis principiis refragandum esset, atque tam principium rationis sufficientis, quam contradictionis et identitatis in-

discer-

discernibilium euertendum, si quis scienter veritatem hermeneuticam indiuiduarum enuntiationum multiplicare vellet, cuius eadem ratio est, quae veritatis logicae, sub qua comprehenditur, quam philosophi affatim demonstrarunt adeo necessario vnam tantum vbiq̄ue esse, vt recte negetur tertium inter duo contradictoria, legitime vero mutua veri falsique in contradictorie oppositis ex vnius euidētia in altero efficiatur. Ipsa facultatum finitarum in scriptoribus aequae ac lectoribus conditio et natura facit, vt vna plures cogitationes in idem plane temporis momentum incidere nequeant, multoque minus vna plures series repraesentationum vel clararum vel distinctarum simul animum sui consciūm occupare possint: quod vel solum sufficeret ad arcendos et proscribendos plures vnius eiusdemque enuntiationis sensus veros, etiamsi reliquae rationes abessent. Accedunt ad haec argumenta vnitatis sensus veri libris sermonibusque in vniuersum omnibus communia aliae rationes haud leuiore, quae a perfectionibus summi auctoris et finibus, quibus destinata est scriptura sacra (§. III), sine difficultate colliguntur. Neque aliud agunt pontificii in propugnanda multitudine sensuum verorum vnius loci scripturae sacrae, quam vt vel per cuniculos auctoritatem diuinam, quae illi vnice competit, atque cum veri certique sensus ambiguitate consistere nequit, subruant, aliamque humanam in eius locum lectoribus de veritate sensus faciendae optione inter plures sollicitis obtrudant, vel per vitiosissimum circulum multiplicem varietatem interpretationum ecclesiae patrumque ad eadem loca cumulatorum tueantur, et fictam horum interpretum auctoritatem ipsa sensuum diuersissimorum euidēti errore destruendam hac fultura et substructione communiunt, ne perpluat aut collabatur: licet oculatiores harum partium defensores vocibus ludere, atque tam oraculorum accommodationes variis opportunitatibus allusionibus et similitudinibus per analogiam applicatas, quam consecutiones, quae ratiociniis ex eorundem argumento deriuantur, cum ipso sensu confundere videantur.

## §. XXVIII.

Indubia experientia compertum est, fieri posse, vt non solum cogitationes per sermonem alterius excitatae nouas

Sensus fecunditas.

H

gignant

gignant rationali consecutione ex prioribus oriundas; verum etiam ipsae res sermonibus repraesentatae, quae proximum illorum argumentum efficiunt, aliarum rerum signa euadant, quibus similitudinis ope repraesentandis inseruiant. Quoties igitur hae deriuatae repraesentationes ad finem loquentis ita pertinent, vt constet, illas non solum conuenire et congruere cum fine, quem sibi proposuit, verum etiam innui, significari et determinari per eundem, atque adeo voluisse loquentem remotiorum harum rerum cogitationem simul cum proxime repraesentatis et per ipsam illarum significationem apud alios producere: toties iure meritoque ad sermonis sensum referuntur atque sub eodem comprehenduntur; cuius accessionem et partem ita constituunt, vt integer, perfectus et completus esse sine illis, vel sermonis destinationem aequare, pleneque referre et exhibere nequeat (§. XXII. XVII). Quod quum fecunditatem sensus efficiat: is demum *sensus secundus* erit, siue praegnans, qui *per proximas repraesentationes, sermonis vocibus excitatas, alias determinat* et declarat; atque latius patet quam significationis vocum in sermone obuiarum per finem loquentis determinatae ambitus, ita vt praeter argumentum proximum aliud remotum sub altero latens complectatur eiusque repraesentationem praestet.

Prior nexus proximi argumenti cum remoto mutua rerum, notionum, iudiciorumque recte formarum relatione et rationali copulatione nititur, atque *logicus* vocatur: posterior ex signorum conuenientia enascitur ad rerum repraesentationes non ineptorum, atque *symbolicus* dicitur. De illo copiosus et explicatius agetur, vbi de analysi notionum sensus rite finitarum rerumque eo propositarum explicatione capite VI, de emphasiologia capite VII, et de porismatibus ex sermone eruendis capite VIII differendum erit. Hunc vero illustrabit sensus mystici disquisitio. Nihil autem verendum est, ne hac fecunditate sensus vnitas eiusdem dispereat, quae non ambitum late patentem neque  
ampli-

amplitudinem vnius sensus veri excludit, sed multitudinem sensuum diversorum (XXVII). Longe enim differt vnius eiusdemque rei amplificatio a multiplicatione illius. Quum igitur ea, quae ad proximum et remotum sermonis argumentum pertinent, ita cohaereant, vt singularum partium huius posterioris ratio in illius praegressi constitutione deprehendatur, earumque quidquid est, illud omne ex altero fluat atque pendeat: satis apparet intelligentia remotioris argumenti ea quidem multiplicari, quae sensus integritatem, amplitudinem et perfectionem efficiunt, ipsum vero sensum non multiplicari; qui vnicus manet, etiamsi numerus repraesentationum cohaerentium et subordinatarum augeatur, sed amplificari, extendi et dilatari explicatione disertata et apparitione manifesta eorum, quae reliquis implicata et inuoluta antea delituerant.

## §. XXVIII.

Quo exploratius est scriptorem et polluisse perspicentiam tam nexus plurium rerum ad argumentum tractationis proximum pertinentium, quam copulationis cogitationum atque productionis repraesentationum, vel ratiocinatorum consecutione, vel similitudinum comparatione excitandarum, vt plura sibi proponere potuerit significanda quam sensu, quem verba proxime fundunt, continentur; et eiusmodi finibus destinasse sermonem in litteras relatum, quibus obtinendis latius patens significatio plurium repraesentationum quam expresse declaratarum vel insigniter vel vnice inseruit, vt sapienter voluisse iure existimandus sit plura lectorum intelligentiorum cogitationi subiicere recognoscenda, quam oculis legenda: eo certius ipsius sermonibus ita comparatis sensus fecunditas competit. Quum igitur non solum scriptores librorum diuinitus consignatorum affluentia diuinae inspirationis plura spectarunt, quam ab iisdem sibi relictis spectari potuisset; verum etiam sensus scripturae sacrae solis cogitationibus et finibus scriptorum, quorum opera et ministerio Deus in reuelatione voluntatis suae vsus est, terminari et circumscribi nequit, sed a Dei, su-


Sensum scripturae sacrae fecundissimum esse.

premi horum librorum auctoris, finibus cognitis et comper-  
tis pendet iisque determinatur, quod authenticæ interpretatio-  
nis exemplis indubiis comprobatur; Deus autem pro infinita  
scientia omnes in vniuersum et rerum et cogitationum et sym-  
bolorum copulationes perspectas habet, finibusque sibi pro-  
positis vsus rerum procuratarum omnes, quibus inseruire pos-  
sunt, semper aequat; scripturae sacrae vero hominibus tra-  
dendae fines habuit patentissimis necessitatibus et opportuni-  
tibus accommodatos (§. III): satis apparet scripturae sa-  
crae tantam competere fecunditatem sensus, quanta esse po-  
test, si maxima est.

Latius patet *fecunditas libri*, quam *fecunditas sensus* vel singula-  
rum vel peculiarium et plerarumque partium libri. Prior a poste-  
riore distincta et seiuncta, *argumenti fecunditas* vocari potest,  
cuius et multitudine apte coaceruata, et momento ad plura, quam  
diserte proponuntur, euidenter perspicenda, absoluitur. Quod  
vtrumque genus fecunditatis rerum in scriptura sacra deprehendi-  
tur summum: nusquam enim maior rerum memoratarum vber-  
tas adeo contracto et breui verborum ambitu proposita compa-  
ret; neque grauioris momenti narrationes et doctrinae sapienter  
selectae et coagmentatae, vt ex earundem contentione instituta  
plurium, ampliorum, grauiorumque rerum intelligentia fluat  
vnquam apparuerunt. Neutra tamen haec vniuersae scripturae  
sacrae fecunditas, quae ex analogia tam fidei, quam scripturae,  
perspicitur, cum hac sensus fecunditate confundenda est, quae  
singularium locorum inuestigatione terminatur: et a pontificiis  
pariter ac alterum genus fecunditatis argumenti inexcusabili erro-  
re impugnatur; dum negant aequae certa esse eademque auctori-  
tate diuina pollere, quae vel ex vno oraculo vel ex pluribus in-  
ter se comparatis legitima et necessaria consecutione eliciuntur,  
quam quae in iisdem diserte et explicite perhibentur. Neque mi-  
nus praeuaricantur, inscite saltem a vero aberrant, qui 1) vel ad  
vnam omnibus singulisque scripturae sacrae enuntiationibus fe-  
cunditatem sensus tribuunt, iisque locis, vbi nulla comparet,  
suo arbitrato ingerunt, quae cum ratione erui deberet (§. XXIII);  
2) vel



2) vel fecunditatem sensus cum fecunditate significatus vocum confundunt (§. XVI), dum opinantur sensum amplificari, si vocabus et locutionibus singulis eas omnes significationes attribuant, quas seorsim et pro varia cum aliis copulatione sineque loquentis diuerso habere possunt; 3) vel enuntiationes extra nexum arreptas et ex contextu auulsas tot modis interpretantur, quot per vocum coagmentationem locum habent, neglecta finis ratione (§. XXII); 4) vel aphorismo hermeneutico, *vela sensus non esse contrahenda, nisi contrahantur ab ipsa scriptura* perperam abutuntur, ad propugnandos hos errores commemoratos, quibus debellandis inseruit, si recte intelligitur, vt neque sensus cum significato confundatur, neque contradictio ab ipsa scriptura sacra ad solam fidei analogiam adstringatur, cum aperta veritatis hermeneuticae et obiectiuae confusione (§. XVIII etc.); 5) vel nihil licere existimant interpreti, ad amplificandum sensum scripturae sacrae, subducendasque rationes amplitudinis eiusdem, quod in aliis libris humanis aequae locum habere lectoribusque sagacioribus approbari nequeat.



AESTVMATISSIMO  
GOTTF. HENR. LEBR. GEDICKE

SAL. PLVR. DIC.

P R A E S E S.

**N**on praetermittam hanc opportunitatem et publice significandi **TIBI**, **TVIS**que meum in **TE** amorem, eiusque rationes reddendi, et commendandi **TE** ingeniorum existimatoribus arbitrisque, quorum satis iam comperta beneuolentia efficacius iuari poteris, quam vel enixissimo studio meo, quibusque approbari cursum, quem apud nos tenuisti, ipsorummet non plane nihili, **TVA** vero permagni omnino interest. Neque enim mediocriter **TIBI** volo et cupio, neque repentina aliqua voluntate aut fortuito ad **TVAM** vilitatem officii meis amplectendam incidi: sed, vt primum huc concessisti mihi que propius innotuisti, semper spectauit, vt **TIBI** possem quam  
maxi-

maxime inferuire et emolumento esse. Cuius rei præter communes disciplinae rationes, quibus fides mea illis omnibus obstricta est, qui se mihi instituendos formandosque tradunt, causas habui peculiare duplicis generis. Vnum ad religionem pertinet Deique cultum, alterum TIBI potissimum laudi cedit. Quum enim ea ipsa domo natus sis, in qua haud exiguam pueritiae partem cum varia fortunæ meorum vicissitudine transegi, atque matrem amisi et a patris iactura parum absui non admodum diu superstitis; eoque parente, quem meus collegam habuit et ad aliam stationem evocatus successorem: fieri non potuit, quin, quotiescunque TE vel fratres TVOS hic conspexi, innumerarum rerum in mentem venerit, quibus me ad venerabundam providentiæ et gubernationis diuinæ cogitationem commotum sensi, quæ res mortalium longe aliter moderatur, quam consilia humana ferre videntur, atque insigniter excitatum, cum ad supplicationes et gratias Deo agendas, et bene ac confidenter sperandum de ope diuina neminem destitutura illius indigum et cupidum, tum ad TE vel ipsiusmet parentis vtriusque causa magnopere amandum omnique vel data vel captata occasione officiosissime ornandum. Cui sic erga TE animato, non defuisti, sed laudabili virium contentione atque diligentia in bonarum artium et sanctioris doctrinæ studiis collocata ad veterem hunc iustumque amorem meum magnam attulisti accessionem: quod laetus commemoro, atque TIBI non magis quam mihi ex animo gratulor. Triennium, quod hic emensus es, non otiose consumulisti. Præter aliorum auditiones tam theologicas quam philologicas, mathematicas et philosophicas, scholis meis dogmaticis, hermeneuticis, exegeticis, antitheticis, theologiæ moralis, symbolicis et litterariis assiduam operam dedisti. Animum etiam veri rectique studiosum et monitorum patientem pariter ac memorem præ TE tulisti, atque effecisti vt sperem rerum sacrarum intelligentiam sancte a TE habitum, in TVVM aliorumque vsum sollicitum translatum fructibusque dignis exornatum iri. Quod vt ex voto et spe mea eueniat, TIBIque bene vertat atque in rem TVAM prospere cedat, DEVM O. M. ex animo TIBI comprecor propitium et præsentem. Cuius gratiæ sanctiorique moderamini meis supplicationibus, si TVÆ accesserint, commendatissimus viue feliciter. Dedi Halæ ad Salam in academ. Fridericiana calend. Maii  
c10 10 ce LIII.





153596


8

AB: 153596

X 2261989

188





SIGISM  
IN  
HERM

RTEN  
M  
ARVM

SCRI


RAE

BREV

TICI

APVI

CLIII.



B.I.G.

Black  
3/Color  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue

Farbkarte #13

